



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

III. Quia tuo foelicissimo natali non solùm parentes tuos consolata es; sed etiam omnes peccatores.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

cept. ad illud Cantic. 8. *Que est ista que ascendit per desertum, velut virgula fumi, quod legit S. Ambrosius.* Sicut vitis propago fumo incensa. *Addit.* Vitis dum floret solo odore fugat, & occidit serpentes, ita & hæc Virgo sanctissima in sua intemerata Conceptione, tantam redolevit charissimam abundantiam, quod in ea penitus fuerit extinctum venenum antiqui serpentis, videlicet peccatum originale, à quo penitus præservata fuit ex specialissimo Dei dono. *Anselm. cur Deus hom. cap. 10.* Indiguit tamen Virgo redemptione, & passione Christi, non propter peccatum quod ei infuerit, sed propter peccatum quod inuisisset; nisi ipsemet ex speciali privilegio illam præservavisset.

Claudatur hic discursus eo sensu quem reliquit nobis *Tostatus Abulensis paradoxo l. cap. 26. Ibid. cap. 58.* Domina nostra Virgo maculam originale nullatenus contraxit. Fuit B. Virgo à peccati originalis macula prorsus immunis, *Et paulo post, postquam retulit lites in hac materia inter quosdam, neq. rem esse definitam ita concludit.* Consulerem cuilibet Catholico bonæ affectionis de disputativa hujus questionis investigatione, se nullatenus intromittere. Et quia in rebus dubijs quod tutius & favorabilius est eligendum: & cum tutius sit atque favorabilius, & sine præjudicio alicujus veritatis cognitæ, aut apparentis Dominam nostram prorsus ab omni originali labe fuisse immunem, rectè eligere debemus, asserere eam sine originali peccato fuisse conceptam.

3. Quia tuo felicissimo Natali non solum Parentes tuos consolata es, sed etiam omnes peccatores.

Nativitas tua Dei Genitrix gaudium annuntiavit universo mundo, carit. *Eccl. salatina.* Nam ut *S. Method. in hyppap.* Cum Maria indefinens læritia venit, *Vincent. Beluac. lib. 6. cap. 65. in spec. historie* narrat quendam Eremitam sanctum certa nocte harmoniam audivisse Angelorum, requisivit causam: Angelus respondit: hanc noctem præcedere illum diem, quo nata Mater Dei, hæc vobis hominibus licet ignota, (non enim ibi tunc Nativitatis Virginæ colebatur festum) nota nobis Angelis. *S. Damasc. lib. 4. de fide cap. 15. ex veteri traditione* narrat in ovili natam, quia sicut ovicula est Virgo singularis inter omnes mitis, & non solum mitis ipsa, sed & Filium mitem Agnum dedit. *Idem orat. de Nativit. B. Virg.* Virgo est Agna et qua pascor ovem induit, veteris mortalitatis tunicis laceratis. Ita ut monet *S. virgin Hieropolita: orat. in Nativit. B. V.* In hoc Nativitatis festo spirituali buccina clangimus, etenim quæ præsentis die ex Davidico femine nascitur, vitæ Mater est, *Rev.*

Revocatrix, per quam Divinæ naturæ participatores translati sumus, atq; à morte liberati. *S. Ildesons. serm. de Nat. Honorabilis dies, & sacra festivitas, in qua nata est Virgo Maria, Dei Genitrix, hoc est gaudium nostrum, hæc est felicitas nostra: quia quando voluit fecit Deus, ut nos per suam magnam misericordiam per Virginem visitaret. Exultemus & lætemur omnes, in celebratione hodiernæ festivitatis, in qua inchoavit Redemptor omnium visitationem mirabilem, & nos de captivitate ad pristinum locum revocare dignatus est. Et statim revocavit S. Joachimum, Patrem S. Virginis. S. Hieron. tom. 4. lib. de ortu Virg. Epiph. Damasc. de Nativit. B. Virginis, sic referunt. Cùm S. Joachimus ad altare munus suum deferret, ab altari iussu summi Sacerdotis repulsus, ob sterilitatem ut non nulli tradunt, ad montem secessit, in quo greges ejus pascebantur. Hoc audito Anna, se domestico hortu inclusit, & ambo orationibus vacarunt: tum Angelus utrique denuntiavit nascituram illis Filiam. Hanc historiam refert his verbis S. Vincens. Ferr. conc. de S. Anna, Joachim & Anna venerunt de Nazareth in Jerusalem ad templum ut offerrent secundum consuetudinem: Joachim qui erat nobilis Baro voluit offerre, sacerdos respexit eum dicens: Et quis estis vos? Respondit Pater, Ego sum Joachim servitor vester qui veni offerre. Et sacerdos, Certè non accipiam oblationem vestram, quia vos estis maledictus à Deo, quia non habetis prolem: signum ergo est quod aliquod peccatum secretum est in vobis. Et ait illi Joachim, Pater, nescio in me aliquod magnum peccatum. Et ait Sacerdos, Recedatis à templo. Et Joachim ait, Pater non faciatis mihi istam verecundiam. Et ait Sacerdos, Certè nisi recesseritis, ego non faciam officium nec sacrificium. Joachim patienter recessit & non ivit ad domum ex verecundia vicinorum, sed ivit ad Pastores suos ad sylvam & ibi flens orabat: Anna verò ivit domum, & oravit pro viro suo. Dum autem sic orat Joachim, apparuit illi Archangelus Gabriel dicens sibi. Ecce orationes tuæ sunt exauditæ, ex illa patientia quam habuisti, Deus me misit ad te, ut nuntiem tibi, quod tu de uxore tua habebis Filiam unam, quæ erit Mater Messie, & in signum hujus vade in Jerusalem, & in porta deaurata invenies Annam uxorem tuam: quia ego etiam ista nunciabo tibi. Et Angelus recessit, & apparuit Annæ in domo flenti, quia nihil sciebat de viro.*

Servit hæc quod dixit S. German. Patriarcha Constantinop. hom. de Nativit. B. Virg. Commune totius mundi Gaudium ex iustis hominibus Joachim & Anna nobis exortum est, laudatissima nimirum illa Virgo, quæ sola propter eximie dignitatis præstantiam verè, rectèque animatum Dei Templum facta est. Ecce confusus in templo Joachim recipit Templum pro præmio. Et ita ut *Eccl. in Vigilia Bapt. Annæ parvus*

partus non est ablatas, sed per sterilitatem dilatus, donec transiret tempus carnis, & cupiditatis, castissimusque uterus Virgini concipiendæ pararetur. *S. Antonius p. 4. tit. 15. c. 21.* Tempus quod Virginem præcessit habuit Deum in signo Leonis sedentem, postea in signum Virginis transiit. Quæ Virgo ut *Bonav. in spec. cap. 5.* in oculis Dei hanc gratiam invenit, ut ipsas spicas, id est animas à melloribus detestatas colligere ad vespèram possit. *Alludit ad historiam Ruth.* Nata est sexto idus Septembris, qui mensis Hebræis maximè festus est in eo tubarum clangores, Tyri neomenia, solemnioris expiationis solennitas, scenopegia, seu tabernaculorum festivitas, feriæ dedicationis templi, collectio pecuniarum, in usus templi, festum coetus legis datæ, memoria Godoliæ, jejunium & alia quædam. De forma ejus ita habet *Richard. lib. 5. de Deip.* Si quis quærit de pulchritudine corporali Divæ Virginis, congruentissimè mihi videtur posse dici & credi, eam præ filiabus hominum speciosam, quæ speciosum formam non solum præ filiis hominum, sed etiam præ millibus Angelorum, suæ carnis substantiâ vestivit, Unigenitum Dei: non enim convenienter tota pulchra, & sine macula appellaretur, nisi secundum dispositionem & figuram corporis, & colorem faciei pulcherrima, & sine macula appareret.

Aliam rationem pulchritudinis innuit *Andr. Cret. orat. 2. de Assumpt.* dum vocat illam rectè descriptam vivi Archetypi Imaginem, quo die nomen indictum incertum est. *Nicephorus lib. 1. cap. 7.* vult statim à Nativitate. *Jacob Canisius parte 3. parag. 3. die 9.* Alij pro die 15. afferunt argumenta. Alij pro alijs. Divinitus tamen præscriptum nomen docet *Fulbertus serm. 1. de Nat. B. Virg.* Et *Gabrieli Archangelo commissam fuisse custodiæ innuit Emissenus hom. in Nativ. & Damiani serm. 1. de Nat. B. V.* Data itaq; Virgo: & quia certè data est, ex sterilibus nata Parentibus. Nam ut *Castro in hist. Deip. c. 2.* docet. Uterq; Parens fuit sexagenarius circiter: & qui jam annis 20. vixerunt in matrimonio juxta *Hieron. lib. de ortu B. V.* Undè *Damasc. orat. 1. de Nativ. Virg.* Ex matre sterili fati convenienter orta fuit Virgo, ut ad Incarnationis summum miraculum per aliud sterilitatis miraculum fieret gradus. Aliud est quia non ex voluptate, sed ex obedientia Dei genita. Ita ipsa apud *S. Brigitt. lib. 6. revel.* Alij conjuges conveniunt ex voluptate carnali, mei verò parentes convenerunt ex obedientia & præcepto Dei. Tertium, quia fuit accelerata ejus animatio, ut docet *Jacob Granadus tr. de Concept. disp. 3. cap. 1. sect. 2. ex revelatione facta Helvino Abbati.* Insuper ab instanti suæ animationis B. Virgo habuit usum rationis; fuitq; capax menti, ut ostendit *Soares tom. 2. in 3. p. d. 4. s. 7. n. 1. Salmeron tom. 2. tract. 22. post medium.* Et ante illos *S. Bernardinus tom. 1. serm. 61. a. 30. c. 3.* Et ipsa B. Virgo apud *S. Bri-*

S. Brigittam, apud Dion. Carth. lib. de laud. Virg. a. 12. tom. 1. operum minorum. Cùm anima mea sanctificabatur, & suo corpori iungebatur, tanta animæ meæ advenit læticia, ut impossibile sit effatu: proindè necesse fuit humores ita attemperari, ut usui rationis servirent. Exercebat autem Virgo suum intellectum independenter à phantasmate, idcirco *S. Bernardinus tom. 2. serm. 22. cap. 2. de Virg.* dixit. Magis in contemplatione Dei excelsit dormiendo, quàm aliquis alius vigilando, sicut ipsa *Cant. 5. testatur. Ego dormio, cor meum vigilat.* Forma Virginis, si quæras qualis fuerit? Respondebit *Richard. à S. Vict. cap. 26. in Cant.* Virginem fuisse vultu Angelico, tam corpore, quàm mente. Et *S. Brigitta revel. lib. 1. cap. 50.* Quòd fuerit simillima Filio. Filius verò ex *Chrysoft. hom. 18. in Matth.* gratiosissimus visus. Et *hom. 13. in Marc.* In vultu Salvatoris aliquid fuit Divinum, quod videntes homines sequebantur. Et *alibi.* Inhumana specie Christi Domini fulgor, & Divina Majestas, & quiddam sidereum ita fulgebat, quòd ex primo aspectu videntes ad se trahere poterat. Idem in Virgine eveniebat, ut *S. Dionys. Areopag. eâ conspectâ dixerit,* ut si non scivisset Deum illam esse Deum credidisset. Quòd verò suo aspectu castitatem afflârît: vide *cap. 6. num. 9. que diximus ex S. Patribus,* quòd etiam suavissimum exhalârît odorem docet *Carthus. lib. de Virg. art. 36.* Et certè id est consentaneum, benè temperatis corporibus. Docet *Plut. in Alex. Suarez. l. c. d. 19. sect. 3.* docet Virg. non solum simplicem fidem, sed etiam sapientiam Theologicam habuisse: item cognitionem rerum naturalium, ac moralium. Et *Sect. 6.* Nullum habuisse errorem, aut ignorantiam, vitam totam absq; dolore exegit, ut idem *Suar. disp. 2. Sect. 2.*

Verùm jam ad alteram partem propositi transeamus, in qua videamus quomodò Virgo alios facit Deo renasci. Sed Virgo nata ad auroram ut docet *Rupert. in Cant.* ut quos de nocte colligit, proferat in lucem. *Innocent. iii. serm. de Assumpt.* Qui jacet in nocte culpæ, respiciat lunam, deprecetur Mariam, ut ipsa per Filium cor ejus ad compunctionem illustret. Quis enim de nocte invocavit eam, & non auditus ab ipsa est. Qui verò ad diluculum pœnitentiæ surgit, respiciat auroram, deprecetur Mariam, ut ipsa per Filium cor ejus ad fatis faciendum illuminet. *Philipp. Berg.* Dum Virgo sacra nasceretur, Romæ signum Minervæ quod orientem solem spectabat nullo mœvente exterius versus occidentem faciem convertit. *S. Gertrudis ut est in ejus vita,* vidit Virginem amplissimo amictam pallio, sub quò bestiolæ & mures, feles & ejusmodi catervatim confugiebant, quas illa omnes amantissimè protegebat, & intellexit per hanc visionem significari, quòd *S. Virgo indiscriminatim omnes recipiat peccatores, sed quòd pallium? amicta*

R. r

sole

sole sub hoc pallium de tenebris culparum recipit. Merito dixit *Guerrius Abbas* *serm. 1. de Assumpt.* Nequaquam crediderim majoris esse felicitatis, & glorie in sinu Abraham, quam in sinu Mariæ degere. Pallium tam vastum Virginis, ut illum texerit, quem coelum & terra non capit. Habet etiam pro illis annonam uberem, *Apud Surium 3. Jan.* Theodosius Abbas in nomine Virginis unum granum dedit amico suo Martiano, quod ita multiplicatum est, ut horreo capi non potuerit. Habet & vinum. *In annualibus Servitarum scriptum, quod sequitur.* Die natali Virginis Ordianem Servitarum Bonfilius concepit, erat verò vitis propè confita sub tempus vernum die Annuntiationis, simul protulit florem, gemmam, uvam. *S. Bernardus in salve ita orat.* Ciba hodiè pauperes tuos Domina, ipsi quoque catelli de micis tuis edunt. *S. Gaudens.* Contendite pulli generosi ad sacram offam, in qua est vita, ex cœlesti cibo mica non cadat. Vel sicut transeundum per undas. *Virgo S. ut S. Bernardus de laud. virg. num. 4.* est Arca Noe, in qua est provisio victualium, pro omni specie animalium. Extendit se hoc pallium, etiam ad cœlum, & ad purgatorium. *Alexander in Paneg. B. V. serm. 1.* Virgo nata ubi creverit, diffundet suæ charitatis flammam, sole altius, quia ad Deum ipsum, quem cinere mortalitatis operiet: sole latius, quia extra mundi fines suis gratijs fulgurabit: sole profundius, quia non aurum, neque adamantes, sed omni auro, atque adamantibus pretiosiores animas, in purgatorijs carceribus deventas, dignas thesauris Dei gemmas educet. Et ideo sole vestita, tanquam pallio. *Jer. 31. Novum fecit Dominus foemina circumdabitur.* *Nyssenus hom. 9. in Cant.* Fons hortorum est Virgo, quia non sibi tantum accepit gratiarum plenitudinem, sed in omnes omninò electos Dei, de hoc fonte innumeri cœlestium rivuli effunduntur, ut à Matre vitæ omnibus vita deflueret.

4. Quia non solum ipsa religiosè scalas templi dum presentereris conscendisti: sed etiam facta es Scala nostræ salutis.

Tulerunt sancti Parentes Virginem Sanctam in templum, ut juxta *Psalm. 90. plantata in domo Dei, in atrijs domus Dei nostri floreat.* *Damasceus lib. 4. de fide cap. 18.* In domo Domini plantata, & impinguata spiritu velut Oliva fructifera, omnis virtutis habitaculum facta est. *Bernardus hom. 2. de adventu.* Crevit in lignum vitæ, quod solum fuit dignum portare fructum salutis. Dum in templo Virgo moratur, ut docet *S. Greg. Archiep. Nicomedien. orat. de Oblat. Mariæ.* Ambrosiæ nutrimentum per Angelos accipiebat, & de esca quam de manu Angeli accipiebat, reficiebatur ipsa: